



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.15. Arno Archiepiscopus Salisburgensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.  
A. C. 799.

§. XV.

*Sup. Lib.*

*XLIV. §. 3.*

*v. Coint. 781.*

*n. 125. & 796*

*n. 122.*

*Arno Archiepiscopus Salisburgensis.*

Arno in Sede Juvaviensi seu Salisburgensi successerat Bertrico, qui, defuncto S. Virgilio, non plus anno sederat. Rex Pipinus Caroli filius, Hunnis anno 796. bello victis, & Imperii Francorum finibus usque ad Dravum fluvium prolatis, ad Arnonem Episcopum mandata misit, ut novellos hos subditos partim Hunnos partim Sclavos in Religione Catholica erudiret, donec Carolus Pater in ipsa loca advenisset.

*Coint. 798.*

*n. 48. Vit.*

*S. Rup. ap.*

*Canis. to. 6.*

Anno septingentesimo nonagesimo octavo, Waldérico Archiepiscopo Passaviensi fati functo, Rex Carolus Sedi Salisburgensi Dignitatem Metropolitanam, qua prius gaudebat, reddi curavit, novoque Archiepiscopo Arnoni mandavit, ut ad Sclavos pergens, ibi Religionem stabiliret. Arno impigre laborem subiens, Ecclesias consecravit, ordinavit Presbyteros, populum docuit, & inde reversus Regi significavit, fructus uberrimos sperandos esse, si huic Regioni Episcopus daretur. Quærenti deinde Regi, an virum haberet huic Officio idoneum, nominavit Theodoricum, & Rege jubente Episcopum ordinatum, atque sub præsidio Comitis Geroldi in Sclavoniam deductum, Optimatum curæ commenda-

mendavit. Theodoricum vero monuit, <sup>Sæcul. VIII.</sup>  
 ut Carinthiis ex finitimis populis ab ora <sup>A. C. 799.</sup>  
 occidentali usque ad locum, ubi in Da-  
 nubium provolvitur, Fidem Christi stren-  
 nue prædicaret; hinc eidem potestatem  
 tribuit in illa Regione prædicandi, ædi-  
 ficandi & dedicandi Ecclesias, ordinan-  
 di Presbyteros, & omnia decernendi,  
 quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam per-  
 tinent, ea solum conditione, ut se Sedi  
 Juvaviensi subjectum sciret. Ipse Arno  
 suis partibus minime deerat; maximo  
 zelo conversioni harum nationum in-  
 cumbens, ob eximiam prudentiam ca-  
 rissimus Optimatibus æque ac populis,  
 qui ab eo imperata non modo Epistola,  
 sed etiam vel charta vacua, quam ipse  
 misisset, exhibita faciebant. Omnia  
 mancipia christiana mensæ suæ accum-  
 bere, iisque potum in poculis deauratis  
 præberi jubebat, cum interim eorum Do-  
 mini infideles foris velut canes federent,  
 quibus panis caro & vinum apponeba-  
 tur, ita ut sibi ipsis ministrare & famu-  
 lari cogerentur. Interrogantibus cur  
 vilius quam mancipia haberentur, respon-  
 debatur; *Cum lavacro salutari abluti  
 non fueritis, indigni estis, ut cum illis  
 communicetis, qui ad novam vitam ve-  
 nati sunt.* Itaque eo magis impelleban-  
 tur ad capiendam Christi Doctrinam, &  
 Sacrum Baptismum ferventius petebant.

Qq 4

Rex

Sæcul. VIII.

A. C. 800.

*An. Egin.*

Rex Carolus hyeme Aquisgrani transacta in medio mensis Martii anno octingentesimo iter inde suscepit ad Oceanicas oras visendas, quas jam tunc Piratæ Normanni infestabant. Paschatis deinde Festo, quod in decimam nonam Aprilis incidebat, in Monasterio Centulensi seu S. Richarii, in quo Angilbertus Abbas præerat, celebrato, inde Rothomagum, & tum Turonem venit, ut ad sepulchrum S. Martini oraret, & Alcuino colloqueretur, cui hanc Abbatiam contulerat. Sed moras ibi trahere compulsus est Carolus ob morbum Reginae Luitgardis uxoris suæ, quæ ibidem quarta Junii obiit. Inde Rex per Civitatem Aurelianensem Parisios, Aquisgranum, & initio mensis Augusti Moguntiam reversus est, ubi Comitia Procerum, quæ posterioribus temporibus *Parlamentum* dicta sunt, celebravit, & profectionem in Italiam suscipere statuit.

## §. XVI.

*Alcuini Tractatus contra Elipandum.*

*Alcuin. in  
Elip. lib. I.  
Alc. ep. 13.*

Sub idem tempus Carolus in Hispaniam remisit duos Archiepiscopos Leidradum Lugdunensem & Nefridum Narbonensem cum Benedicto Abbate Anianensi, Viro in illis Regionibus celeberrimo, qui Felicis Urgelitani Hæresim penitus